



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Filix. Volatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

## CAPITA DEORUM. CAP. XXII.

**V**erbenarium fasciculi pulvinaribus dicati, Deos apud veteres significabant. Strupos eos vocabant. Erat vero mos olim dona ejusmodi Deorum capita nuncupare. Sane apud Tusculanos fasciculus, vel corona herbacea imposita pulvinari Castoris, Struppum vocabatur. Alii struppum idem, quod strophium intellexerunt. Unde apud Falscos Struppearia nuncupabatur festa, quibus ambulabant coronati. Attejus Philologus Græcum esse vocabulum struppum putat, quippe *στρουπος*, & insignis fuisse, quod Sacerdotes in capite ornando gestarent, sive ea corona esset, sive aliud gestaminis pro corona: de quo videndus Festus, sed in codicibus emendatis.

*Struppi  
quid.*

## DIVIPRÆCURSORIS CAPUT

## CAP. XXIII.

**N**on temere vero in nostram usque diem mos plerisque Italiae civitatibus perduravit, unam è verbenis speciem, eamque & grandiore & odoratiore in D. Johannis Præcursoris memoriam celebrare. Herba enim ea lato folio est, crispatoque, aspera admodum lanugine, coloris cineritii multis scissuris corrugato, acutissimi odoris ac per jucundi, caule præalto, ramo, quadranguli, puniceis floribus adbuglossæ propemodum similitudinem condensatis, intra quorum calices grana quatuor singulis, veluti panici papaverisve reperiuntur, quibus excussis pediculo pars adjuncta remanet, quasi quædam macilentæ capitis effigies, idque D. Johannis caput vulgus dicitur, herbamque ejus nomini dicatam, non sine pietatis ostentatione pulvinaribus imponit, eademque privatarum ædium januas parietesque ornat, tamquam amuletum sit minime contemnendum. Nec me latet verbenas pro quibusdamque sagminibus in sacris acceptas, & coronationum ritibus herbas quascumque; è Capitolio decerpas, pro verbenis habitas: ipsam autem verbenam multis à Dioscoride nominibus appellatam, & quæ super eam plurimi ætate nostra conscribere, quæ hic repetere superfluum esset.

*Verbena  
descripta;  
& usus.*

*A Plin. lib.  
22. c. 2.  
Vna cum  
sua terra.*

## NOVA NUPTA. CAP. XXIV.

**Q**ui vero puellam pingunt verbenam sub amiculum occultantem, hieroglyphicum hujusmodi novam nuptam significare tradunt. Siquidem mos erat nuptiarum sacro faciendo, ut nova nupta corollam de verbenæ floribus à se lectis sub amiculo gestaret. Sunt & alii verbenæ sive verbenacæ usus alii atque; aliis antiquorum ceremoniis, magicis etiam elusionibus accommodati: sed nos eam tantum delibamus, quæ ad alicujus hieroglyphici significationem pertinent.

*Plin. lib.  
25. c. 9.*

## DE FILICE.

## VOLATUS. CAP. XXV.

**F**ilix quoniam Struthio camelæ pennis assimilatur, sunt qui volatum per herbam eam figurare ceperint, quod mihi non usque quaque approbatur. Nam licet unaquæque penna volatus hieroglyphicum sit, instrumentumque; ejus rei proprium, cum tamen manifestum sit Struthio camelum omnibus alitibus unum ob vasti corporis molem, vix posse sese humo attollere, alis vero uti ad cursum tantum adjuvandum, congruum mihi non videtur ab eo significatum id de sumere, quod ipse sibi natura repugnante præstare minime possit. Sed de Struthio camelo satis inter alia significata. Id de filice proditum, non Struthio cameli tantum causa herbam eam Pteryga vocari à Græcis, sed quod quæ univertum folium ejus sit pennis alitum simile: de quo & Dioscorides & alii plura.

*Dioscor. lib.  
4. c. 78. &  
79. Plin.  
lib. 27. c. 9.*

## SECURITAS. CAP. XXVI.

**M**agis autem placet illud quod securitatem per filicis hieroglyphicum indicari quidam memoræ prodiderunt, propterea quod ejus herbæ odor serpentes fugat, animantium quippe genus